



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque  
Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XX. Ravennaten. emphyteusis. De concordia Ravennaten. circà  
facultatem disponendi de bonis emphyteuticis, quomodo unintelligenda sit,  
& quas concessiones illa comprehendat; Et an locum habeat cum ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74102](#)

## DE EMPHYTEVSI DISC. XX.

in protectionem, ab eisdem tamen sub hac lege recipienda, ut exp̄sē declaratur in motu proprio concessio per Urbanum VIII. pro eodem statu Urbini, registrato post dec. 7. apud Pastellum.

Et quamvis eadem concordia disponat, hujusmodi renovationis necessitatem intelligi debere favore illorum, in quos possessor de Episcopi seu alterius domini licentia disponuerit, unde propter reascribentes pro Theodora, pro excludendo hujusmodi concordie beneficio, magnam ac totam vim in hujusmodi licentia defēctū constituebant, Nihilominus dicebam, quod cum ex pr̄missis, bona h̄ec mērē hereditatis, & liberae dispositionis, ad instar allo dialium effecta sint, licentia Domini relevata censetur pro solo eius jure conservando, & ne ipso ignaro bona transiret ad personas prohibitas, vel in concordia non comprehensas, sive pro consecutione laudemiorū & emolumentorum, quæ per successores pro renovatione debentur, non indēramen̄ inferri posse, quod successores de necessitate hereditariam qualitatē habere debentes, de hujusmodi defēctū possint obsecere, ut à simili ponderatur per Rotam dec. 196. nn. 16. post Zaccib. de oblig. Camer. ac habetur etiam deducendum in dicta Mantuanā substitut. defendis, & in dicta Farfē. hoc tit. dis. 8.

Quod clārē comprobari dicebam ex eo, quod concordia inducit renovationis necessitatem, etiam erga hereditem ab intestato, qui potest esse de cognatis, & non comprehensis in investitura, & tamen respectuistorum, verificabilis non est casus pr̄cedentis licentia; Et quamvis pro hujusmodi licentia necessitate adduceretur auctoritas Corboli de devolutione ob linea finitam ampliatione 9. Observabam tamen, illum non distinguere inter pr̄judicium domini & successorū, neque ad illos terminos descendere, sed cum terminis generalibus procedere, Et hanc dicebam mihi videri veritatem æquitatis etiam assūtentiam habentem, cum non ageretur de inclusione extranis ad exclusiōnem coniuncti, sed de sati prudenti & rationabili dispositione inducīva æqualitatis, iuxta juris communis dispositionem, ita ut morientis iudicium, aliud in effectu non operaretur, nisi remotionem illius rigoris, quem magis communis & recepta DD. traditio induxit in excludenda repräsentatione in emphyteusi; Et de ista transactione habetur in alia Urbinate, dis. 26.

## RAVENNATEN.

## EMPHYTEUSIS

PRO

ANDREA EMO VENETO

C U M

MARCO ANTONIO GORDIO CANONICO RAVENNATEN.

Casu decisus per Rotam ad favorem Eni, &amp; deinde sopusus per concordiam.

De concordia Ravennaten. circa facultatem disponendi de bonis emphyteuticis,

quomodo intelligenda sit, quas concessiones illa comprehendat, Et an locum habeat cum forensibus, qui non sint cives Ravennatenses, Et quid ubi in investitura habetur ad eam relatio, Et aliqua de jure accrescendi.

## S V M M A R I V M.

- 1 F Actis series.
- 2 In emphyteusi non habet locum jus accrescendi.
- 3 Ex quibus dedicatur vocatio omnium in solidum, & pr̄sertim de dictione cuiuslibet.
- 4 In bonis concedi soliti non requiruntur solemnitates, sed non potest solitum alterari.
- 5 De solemnitatū pr̄sumptione ex lapsu temporis.
- 6 Translatio non tribuit ius de novo, sed confirmat ius antiquum.
- 7 De concordia Ravennaten, per quam bona emphyteutica redacta sunt ad instar allo dialium.
- 8 In quibus casib⁹ concordia non intrat.
- 9 An ex prohibitione alienationis cesseret concordia.
- 10 An concordia respiciat solum interest domini vel etiam agnatorum.
- 11 Quando dicatur nec nō expirata concessio, ad effectum ut concordia non intrat, finaliter defectudur alia.
- 12 De bono intellectu concordia.
- 13 Concordia non intrat in casis mixto duplicitis prohibitions.
- 14 Dispositio de simplici non capit mixtum.
- 15 Consuetudines vel conventiones super facultate alienandi strictè intelligenda sunt.
- 16 Concordia loquuntur de civibus, & quid de forensibus.
- 17 An concordia capiat concessiones postea factas.

## N. de Georgijis.

Magdaluccia	Canclana nupta Emo
Petrus	Andreas
Jo: Baptista	Georgius
Petrus	Andreas
Elisabetta	
Stephanus qui alienavit in Gordium	

## D I S C. XX.

ER viam transactionis Abbas S. Mariæ in Cosmedin Ravennæ, de anno 1325. renovavit antiquam emphyteūm, pr̄dictis Magdalucciae & Canclana pro se sp̄sis, & eiuslibet earum filii & descendentiis masculis, & in eorum defēctūm pro masculis ex prole feminia, cum pacto non alienandi sine licentia Abbatis, neque relinquendi loco pio, & cum alio pacto, quod ipsi investiti & descendentes, emphy-

emphyteusi durante gaudere & potiri valeant beneficia concordia Ravennaten.

Defecit linea Magdaluccia in Stephano, qui moriens hæredem scipit Gordium, unde triangularis quæstio orta est inter Abbatem prætendentem dictæ portionis bonorum devolutionem, Andreum Emum descendenter Cancianæ, prætententem eamdem defecitam portionem ex jure accrescendi vel non decrescendi, Et dictum Gordium extraneum prætendentem ab ultimo de linea disponi potuisse ad ejus favorem in vim concordia Ravennaten.

Unde assumpta disputatione in Rota, pro Emo sub die 9. Decembri 1658. coram Albergato, confirmando sententiam locutum est. Cardinalis Legati Ravennæ, responsum fuit, excludendo prætensionem Abbatis, ex fundamento juris accrescendi, quod licet in emphyteusi locum non habeat ex copiosè deductis in alia Ravennaten. decis. 170. pag. 5. recent. ubi cumulantur concordantes, & est deductum in Mutinæ feudi substit. de feudi disc. 8.

Nihilominus cessat hæc regula, quoties consilio facta est pluribus, & cuilibet eorum, quasi quod dictio prædicta *cujuslibet* operetur omnium vocationem in solidam ex deductis per *Manic.* *detac. lib. 22. tit. 34. num. 28. Marescot. lib. 1. var. resol. 75. num. 3. cum sequen. decis. 192. num. 1.* & per tot. part. 4. recent. tom. 2. *Forolivien. scilicet nullius Castrorum 14. Martii 1657. coram eodem Albergato* cum aliis in hujus causa decisione.

Et quamvis ex parte Abbatis, non improbabiter prætenderetur, dictiōnem prædictam *cujuslibet*, non fuisse appositam inter dictas primas concessionarias, sed percuterē personas filiorum *cujuslibet* ipsarum, Nihilominus Rota sequendo dictam decisionem 192. pag. 4. to. 1. ac firmata in Bonon. de Erculanis 18. Maii 1645. coram Peutingerio, creditit quod dum descendentes ex una ipsa ratione veniunt, debet eis prædeſſe, quod mihi non omnino totum videbatur, quia dum dictio prædicta stat distributiva, apta erit operari solidi concessionem, & consequenter jus accrescendi, vel non decrecendi in qualibet portione distincte, & de per se considerata in *cujuslibet* linea descendantibus, non autem de linea ad lineam, cum duas primas mulieres duas diversas lineas constituentes, non essent cum dicta dictione conjunctæ; Unde propteræ in sequentibus disputationibus habitis cum Gordio, facilius inclinavi ad consulendam concordiam, qua mediante præfens controversia sopia fuit, ne Abbas, qui jam dictæ resolutioni acquiescebat, denuo excitaretur, & utrumque contendentem repelleret.

Adducebatur etiam pro parte Abbatis confidabile motivum, quod dictio *cujuslibet* non continetur in antiquis investituris, unde propteræ adiici non potuerit in ista, cum receptissima hodiæ propria sit, quod quamvis in bonis concedi solitis non requirantur solemnitates præscriptæ per Extravagan. ambivitæ. Attamen id procedat, dummodò solitum non alteretur in Ecclesiæ præjudicium, alias alteratione præjudiciale accidente, juxta opinionem in Rota & Curia passim receptam, nendum vitiatum sola pars alterativa, ut aliqui putant, sed corrutus actus, ita ut utile per inutile vitiatum remaineat.

Card. de Luca de Emphyteusi Pars II.

Verum objectum, absque necessitate assumendi altiores inspectiones, de facilis sublatum fuit cum præsumptione solemnitatum resultante à lapsu temporis antiquissimi cum observantia, non obstante moderna Constitutione Urbani VIII. edita anno 1641. quæ forte potius ex intelligentia per Rotam attributa, quam ex Papæ intentione, ut ego ex relatione unius ex Officialibus, qui dictam Constitutionem efformarunt audivi, in hujusmodi privatis contractibus & concessionibus substituit præsumptionem alias de jure resultantem ex officiis annuali observantia, cum in proposita factis specie accederet etiam centenaria in eadem Urbana Constitutione expresa præservata, unde de plano omnis difficultas cessabat ex facto.

Ponderabam etiam, quatenus Abbatis prætensio excitaretur, pro substinenti jure accrescendi, seu non decrescendi resultante ex operatione prædictæ dictiōnis *cujuslibet*, quamvis malè adiectæ pectandū esse, quod non verobamur in omnino nova concessione ab initio facta duabus personis, duas diversas lineas constitutibus, ita ut fingerentur duas omnino separatas concessiones in eadem scriptura contentæ, quæ est ratio regulariter exclusiva juris accrescendi, quoniam concessio fuerat per viam concordia super lite vertente inter Abbatem & dictas sorores, prætententes continuationem concessionis unitæ ex eorum patentibus alias factæ, qua præcedente concessione attenta, unica era linea ab uno stipe derivata utriusque fororis complexiva, cum transactionis natura sit, non efformare jus de novo, sed confirmare jus antiquum, ac tollere obstatulum, seu dubietatem proprii juris ex litis eventu resultantem, ut per Doctores in l. profundo C. de transact. præteritum Bar. Caſtr. & Jaf. Suar. alleg. 19. Molin. de primogen. lib. 4. cap. 9. numer. 22. in fin. ubi Add. Novegrol. alleg. 37. numer. 4. Rot. decis. 306. numer. 6. pars. 5. rec. & f. 1. plus, unde ista potius ponderatione attenta, quam altera in decisione deducta, probabilem dicebam Abbatis exclusionem.

Quo verò ad controversiam inter Emum & Gordium extraneum, cum investitura formulæ esset sine dubio pœsti & providentia, non dubitabatur, non potuisse in agnati præjudicium alienationem fieri in extraneum, Verum difficultas consistebat in concordia Ravennaten, per quam hujusmodi bona redacta sunt ad instat allodialium, ita ut de illis quomodo libet disponi valeat, ut habeatur in Ravennaten. benor. 27. Maii 1651. coram Cerro, & firmant in specie de ista concordia loquentes Ancharan. conf. 125. Paris. conf. 108. lib. 1. & conf. 22. lib. 2. latè Marcabrian. conf. 26. Rot. decis. 6. par. 4. rec. tom. 2.

Rota in dicta decisione tria canonizavit fundamenta, ex quibus creditit concordiam non intrare, Primo quia DD. & decisiones loquuntur, quando forma investitura non repugnat tenori concordie, secundæ dicta repugnantia accidente, ut in præsenti, dum expresa prohibita erat venditio, donatio, vel permutatio, seu aliquis contrarius, qui de dicto repugnat concordie, allegando Ancharan. conf. 421. numer. 4. Aretin. conf. 124. in princip. & numer. 17. & in his terminis spec alibus duas decinones Ravennaten. domus 14. Junii 1649. & 17. Martii 1651. coram Rosis inter suas dec. 402. & 444.

Secundò quod concessio ulus concordia intel-

E

ligi

ligi debet in præjudicium Ecclesiæ concedentis, non autem aliorum vocatorum juxta decif. 750. nu.  
3. p. 3. recent. Et tertio usum concordia limitatè concessum fuisset durante emphyteusi, quæ quoad  
lineam Magdaluciæ jam finita erat, ut pondera-  
tur in similibus terminis per Rot. decif. 86. par. 5. re-  
cent. quæ loquitur de emphyteusi Abbatiae Far-  
fensis, quod licet ex consuetudine illa bona redacta  
sint ad instar allodialium, intelligitur tamen investitu-  
ra durante, Secus autem ea finita, de qua deci-  
sione ejusque verò intellectu habetur in Farfensi  
hoc eodem disce. Edita dicta decisione, & Gordio non  
acquiescente, sed mordicus pro ejus revocatione  
insistente, novaq; prouide disputatione a sumpta,  
in congressu, quem ego & ceteri pro Emo scriben-  
tes habuimus, examinando dictæ decisionis funda-  
menta, satis dubitabamus de subsistenti primi, re-  
pugnantia enim investitura cum concordia, rectè  
procedere posset, quandò in eadem investitura de  
ipsius concordia usu expressè non ageretur, quasi  
quod per alienationis seu dispositionis prohibiti-  
onem ita ex partium consensu & voluntate prædi-  
cta concordia beneficio renunciatum sit, sed cum  
in eadem investitura expressè diceretur, concessio-  
narios potiri posse & debere ejusdem concordia  
beneficio, impossibile videbatur, ut argumentum  
tacitè resultans ex prohibitione alienationis, de-  
strueret conventionem expressam, & literalem,  
ideoque potius dicta prohibitio referenda erat ad  
jus seu interesse Ecclesiæ pro solutione laudemii,  
seu alterius recognitionis in casu alienationis, cum  
sic & non alià tolli dicatur repugnantia siue incom-  
patibilitas manifesta, unde concludebatur, in hoc  
primo fundamento utpote minus tuto, nihil, vel  
parum insistendum esset.

Secundum fundamentum, quod concessio usus  
dictæ concordia intelligi deberet in solum præju-  
dicium Ecclesiæ concedentis, non autem agnato-  
rum, pariter videbatur parum tutum, ita simplici-  
ter & genericè sumptum, Tum ob repugnantiam  
cum dicta prohibitione alienationis, Tum etiam  
quia hujusmodi consuetudines vel conventiones  
reducentes bona emphyteutica ad formam allo-  
dialium cum libera facultate disponendi, ut potè  
fundata in commercii necessaria libertate, æquè  
percutiunt præjudicium & interesse domini, ac il-  
lud agnatorum; Quinimò facilius disponendi libe-  
tas inducitur in præjudicium agnatorum quam ip-  
sus dominus, ut constat ex consuetudine Farfensi,  
de qua dicta decif. 86. par. 5. recentior, & in Farfen,  
hoc tit. discurs. 8. ac in aliis frequenter.

Et de consimili consuetudine Mantuana sub tit.  
de feudi in Mantuana feudi disce. 9. & 10. præser-  
tim clariss, dum in hac investitura usus concordia  
expressè restrictus erat, emphyteusi durante, ex qua  
restriktione clarè desumebatur, Ecclesiæ voluisse  
potius ejus præjudicium præservare, ac velle con-  
cordiam operativam manere pro solo tempore  
durantis investitura, quandò dispositio in effectu  
aliud non continebat præjudicium nisi illud agna-  
torum.

Solidius fundamentum credebatur tertium, ex  
eo quod facultas utendi dictæ concordia beneficio  
restricta esset ad tempus durantis emphyteusi jam  
in dicta linea expirata; Et quamvis per alteram par-  
tem replicaretur id esse intelligendum de omni-  
moda cessatione investitura per utriusque lineæ  
defectum, Replicabatur tamen in ulterioribus di-  
sputationibus, ex hac parte (& meo judicio benè)

quod cum concessio facta esset ab initio duabus  
personis, duas diversas lineas constituentibus,  
quamvis inter eas ex dictione, censibet, ob cir-  
cumstantiam originis, à qua concessio derivat, in-  
traret jus accrescendi vel non decrescendi, ut suprà,  
attamen censentur duas diversas concessiones in ea-  
dem scriptura seu investitura contentæ, cum quadam  
substitutione superstitis in portione deficien-  
tis, ita ut ista concessionem expirata, singatur Do-  
minus, per voluntatem ex tunc declaratam  
denudè & tanquam per viam novæ concessio-  
nis, alteri lineæ concessisse, ut per Ias. conf. 117.  
volum. 4. Decian. conf. 73. num. 15. vol. 2. nbi num. 13.  
observat, quod dicenda est quædam tacita substi-  
tutio Hondon. confil. 54. num. 25. & sequens. volum.  
1. Fulgin. tit. de contract. emphyteus. qna. 34. num.  
42. benè Manica de tacitis lib. 22. tit. 34. num. 21.  
& 22. unde respectu domini, & ad impediendam  
devolutionem, quæ alias de portione defecta regu-  
lariter sequi deberet ex deductis per Fulgin. dicta  
qna. 42. num. 10. cum seqq. & tit. de successione  
qna. 20. num. 2. Belon. jun. de jure accrescendi cap.  
7. qna. 66. dici potest eadem investitura durare,  
non autem respectu lineæ defectæ, cujus respectu  
omnino extincta remanet.

Proindeq; beneficium concordia rectè suffra-  
gari potest etiam ad effectum disponendi per ul-  
timam voluntatem concessionem durante, possessori  
habentilegitimum successorem, cui tantum injuri-  
a seu præjudicium fieri dicatur, secus autem, ubi  
est ultimus de successore desperatus, & præsumtum  
mori proximus, & per actus ultima voluntatis  
effectum sortituros post ejus mortem, Tunc  
etenim non solum intrat ratio prohibitionis resul-  
tans ex glos. magistrali in cap. primo 9. sed & res, per  
quos fiat investitura, ubi Ifern. Bald. Alvarot. & ceteri,  
de quibus plenè in Senogallien. Castrorum sub-  
tit. de feudi, disce. 1. ubi firmatur, facultatem subi-  
feudandi ex concessione legis vel hominis feudati-  
ario competentem, exercibilem non esse, dum est  
in statu desperatæ successionis; Sed altera ratio forti-  
or, quod disponendo, ut in præsenti per ultimam  
voluntatem, cum haec non sit operativa, nisi post  
disponentis mortem, est conferre effectum dispo-  
sitionis in tempus inhabile, & quando jus dispo-  
nentisjam expiraverat.

Quodque concordia intelligi debeat in casu sim-  
plici, concessionis scilicet factæ alicui pro se & suo  
sanguine ac descendentiæ, & quando unum, tan-  
tum concurret obstaculum resultans à formula  
pauci & providentiæ, non autem in casu mixto dupli-  
cis prohibitionis, quarum una resultat à dicta  
formula in personis ejusdem linea Propria, atera  
verò resultat à jure accrescendi ad favorem perso-  
narum extranearum diversæ lineæ per viam substi-  
tutionis seu nova concessionis ex tunc factæ ut suprà,  
in puncto juris verius omnino dicebam, Tum  
ex recepto juris axiomate latè exornato per Bar-  
bos. axiom. 152. n. 11. & 12. ut dispositio legis vel  
hominis loquens de simplici non capiat casum  
mixtum, quod etiam procedere in contractibus  
firmant Adden. ad decif. 131. nu. 169. par. 4 recent.  
tom. 2. Tum clariss, quia facilius conceditur, ut  
quis proprio sanguini præjudicare valeat quam  
tertio extraneo, ex ea satis congrua & naturali  
ratione, quod difficilius quis inducitur ad dis-  
ponendum in extraneos, ut propriam sobolem,  
ac descendentiæ, vel agnationem privet,  
facillime verò id faciat ad excludendum extrane-  
um,

um, cuius jus accrescendi, non ex legis, sed ipsius extranei provisione seu stipulatione quantum penitus inane remaneret.

Hujusmodi autem consuetudines, vel conventiones super alienabilitate, contrà regularem bonorum naturam, strictissimè intelligenda sunt, neque suos terminos præciosos egrediuntur, ac sufficit quod in aliquo etiam modico remaneant operativæ non de facili extendenda. Rosenthal. de fœ. cap. 9. conclus. 58. n. 19. 26. & 31. bene Ciriaco. controv. 23. num. 22. & seq. & controv. 377. n. 3. cum seqq. Et de consimili confutudine inducente facultatem disponendi de feudalibus vel emphyteuticis, ut sit operativa in remotione unius, non autem duplicitis obstaculi Ciriaco. d. controv. 23. & est plenè deductum in dicta Mantuana fœnde sub titulo de fœndis dis. 9. & 10.

Unde expendendo singulas auctoritates de hujusmodi concordia Ravennateni loquentes & superius allegatas, observabam omnes, excepto Marcambruno, loqui de casu simplici, non autem de mixto, in cuius terminis loquitur, Corn. conf. 165, num. 7. cum sequen. & num. 12. cum sequen. volum. 2. ubi in specie decidit pro vocatis alterius linea superius in exclusione hereditis extranei ultimi delineata defecta, quod etiam probari dicebam auctoritate Laderchii conf. 1. num. 20. cum seqq. & Ruini. conf. 169. num. 12. volum. 1. ubi distingunt, an concessio facta sit uni unam tantum lineam constituenti, cupus prejudicium alienandi facultas concernat, vel facta sit pluribus diversas lineas constitutibus.

Eoque magis premissa vera esse dicebam, quia dictæ concessionaria tamquam forentes non erant comprehensæ sub dicta concordia, expressè loquente de civibus Ravennatenibus, unde cum eorum habilitatio proveniat à sola concessione Abbatis, intelligenda erat in soluta ipsius concedentis prejudicium, ut firmat hujus causa decisio ut supra, & bene Bald. conf. 465. lib. 5. Rosenthal. de fœnd. cap. 2. conclus. 37. num. 11. Rota dec. 750. num. 3. & sequen. par. 3. recen. & post Giovagnon. conf. 44. lib. 2. in quo fundamento satis insistebant ceteri pro hac parte scribentes. Et quamvis ego non omnino tunc reputarem ut supra, satis tamen considerabilen hanc circumstantiam credebam in ordine ad strictiorem dictæ facultatis intelligentiam.

Denum ex hac parte aliud ponderabatur motum, quod concordia non capiat concessiones potest factas, ut firmatur apud Merlin. decis. 86. canonizata in dicta Ravennata domus 14. Junii 1649. & 17. Martii 1651. coram Rotas inter suas dec. 402. & 444. Unde cum ultima concordia sit de anno 1444. capere non poterat istam concessionem sequitam de anno 1525. Verum de hujus fundamenti subsistentia dubitabam, quia hoc motum recte procedere posset, quoties beneficium dictæ concordie non esset expressè reductum in pactum, sed ex ipfam concordia conventione cessante deduci prætenderetur ut dis. seq.

Ex alii tamen, præscriptum ex iam dicta differentia inter casum simplicem, & mixtum, quodque facultas intelligatur durante eadem linea, non autem ea finita in præjudicium alterius ex diverso & quodammodo novo jure venientis, putabam bonum jus Emo assister, Verum per tres vices post editam decisionem disputata causa, & premillis vigorose inculcati capi non potuit resolutio, cum licet hæc in regulis juris, sive ob juritarum

Card. de Luca de Empyteni Pars II.

subtilitates recte procedere viderentur, attamen (quod mihi etiam vim faciebat) obstat videbatur ipsa substantia veritatis, seu verisimilis partium voluntatis, quod scilicet ratione libertatis commercii acquirentes voluerint ut hæc bona, circumscribo e jure, quod Ecclesia remanet circa laudem, seu emolumenta pro renovationibus solvenda, remanerent omnino libera, atque quoad disponendi facultatem à ceteris allodialibus non differentia, unde propterea omnes consoluimus concordiam à Tribunal etiam desideratam, quæ cum conditionibus huic parti satis proficuis effectum habuit. Et de eadem concordia habetur in alia Ravennaten. disc. seq.

## RAVENNATEN.

### CONCORDIAE

P R O

### ARCHIEPISCOPO,

ALIASQUE ECCLESIASTICIS

C U M

### COMMUNITATE

S E V

### CIVITATE RAVENNÆ.

*Casus disputatus in Congregatione particulari ubi penderet.*

De utraqie concordia antiqua & moderna inita inter Civitatem Ravennæ & Ecclesiasticos, quomodo servari debeat, & quæ bona comprehendat; Et incidenter an & quando Princeps abstinere debeat à gratis & privilegiis præjudicialibus dominis directis circa bona emphyteutica.

S V M M A R I V M.

- 1 F Acti series.
- 2 De petitionibus seu casu controversia.
- 3 Remedia extraordinaria non sunt concedenda suppetunt ordinaria, & de praxi Signatura Gratia.
- 4 Princeps non solet concedere gratias alteri prædictiales, quæ exorbitent à jure.
- 5 Principi est replicandum remisivè.
- 6 De stylo Papæ etiam in gratiosis recipiendi consultationes sapientum.
- 7 Princeps de facili derogat legi non autem pastis & conventionibus prælatorum.
- 8 De iudicio Statutus Urbini quare non capiat ipsam Civitatem Urbini.

E 3

DISC.